

Eintrag.

EN. 60. 5.



16.

LAETITIA  
JUVENTUTIS

Eccl. XI, 9. 10.

LAETITIA  
INVENTIS  
Eckhard, 1710



ILL. GYMNASII COBURGENSIS ACADEMICI  
DIRECTOR CETERIQ. PROFESSORES  
CIVIBVS CASIMIRIANIS

S. P.

Quum vere nupero coetus vestri lustrum conderemus, Casimiri-  
ni lectissimi, idem illud monitum, quo olim Ecclesiasten suum  
instruxerat, & tantum non obſignaverat, nobis quoque inſulurrare,  
quin plane acclamare videbatur Regum ille ſapentiſſimus :

*Lactare, inquit, juvenis in adolescentia tua, & in bono ſit cor tuum in  
diebus juventutis tuae, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum  
ſuorum.*

Quamvis autem, quæ, temporis habita ratione, tunc ad hoc oracu-  
lum diſſeruimus, vel nobis tacentibus aures veſtras aſſidue circumſonare,  
memorique mente apud vos reſoſita eſſe debeant, fecit tamen Viri cu-  
juſdam vobis nobiſque amiſſiſſimi, & pluribus nominibus venerandi, au-  
ctoritas, ut propter rei gravitatem & memoriæ attentioniſque maximis in  
rebus imbecillitatem eadem typis exſcripta, vobis denuo ſubjicere ac com-  
mendare, noſtro in vos ſtudio conſentaneum, ætati veſtræ ſalutare cen-  
ſeamus.

Etenim quin hæc Salomonea, maxime in cœtu juvenum audita, non  
eodem apud omnes animorum habitu ſuſcepta fuerint, nulli dubitamus.  
Forte non deſuerunt, qui mirarentur, quid mihi in mentem venerit, ejus-  
modi quid proponere Vobis, quo ætus florentis ætatis ſua ſponte ruat,  
neque calcariſ in eo, ſed freniſ plerumque egeat. Alii longe alia, quam  
verba præ ſe ferrent, agi a nobis, animoſque adoleſcentiæ tam facile effu-  
ſeque in latitiã geſtientes perſtringi acrius & irrideri exiſtimaverint.  
Quidam fortean id perlibentes audierint, neque alia præcepta habuerint  
intus & in peſtore gratiora; veruntamen, quod ex nobis talia audire  
non eſſent ſolici, quo tandem vergerent, ſuſpenſi exſpectarint.

Quæ quidem fluctuatio tanto minus nobis eſſe potuit improvifa,  
quanto certius conſtat, jamdudum diſputationes hæc Salomoneas, libro  
Eccleſiaſtae deſcriptas, variis hominum judiciis ſubjectas fuiſſe, diverſiſ-  
que interpretationibus vexatas. Nam quum hic occurrerent nonnulla,  
quæ parum recte perſpecta in patrocinium Atheiſmi aut Epicureiſmi rapi  
poſſe videbantur, effectum eſt, ut, ſi vera quidem referant Magiſtri He-

bræorum (*Talm. Schabbat* f. 30 b. unde narrationem hanc suas in areolas derivarunt Judæi & Christiani quamplurimi) aliquando in disceptationem in Scholis Judaicis vocaretur, sitne abscondendus potius hic liber, an edendus? Utinam vero homines Christi nomen professi volumen hoc, a Christo ipso & Apostolis sibi traditum, nunquam non reverentius habuissent! Certe nec *Observatoris cujusdam Halensis T. VIII Obs. XIII*, nec *Aut. Collini* in libro pestilenti, *Of Freethinking, s. de Libertate cogitandi*, temerariam *neglow* de libri scriptore atque sententia legeremus.

At vero ab omni sequiori suspicione hæc Salomonea satis superque defendit adjecta statim severissimi judicii divina aperta mentio: *Latere, Juvenis; & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium*: Defendit injuncta quam diligentissime memoria Creatoris nostri O. M. in *juventute*: defendit tradita summa omnium præceptorum salvatorum: *Timè Deum, & mandata ejus observa*. Hoc enim est totum hominis, Judæorum itaque & Pseudo-Christianorum calumnias recte confutarunt alii: in *Mitdrasch Kobeletz Rabba & Falkut*, unde excerpta habes in *J. B. Carpzovii Conc. fun. Studenten-Lust: Celeb. Jo. Gotlob Carpzovius Introd. in libb. Poët. Bibl. p. 228*. add. *H. Wißi Miscellanea S. lib. I. c. XVIII contra Anonymum*, sub *Theologorum Batavorum* persona latentem.

Neque tamen opus erit, ad *eigewelt* confugere. Non adeo terrore ingenio nati sumus, ut læticiam florenti ætati invidemus, aut in moribus tristibus atque hispida apicem quandam bonæ mentis aut virtutis collocemus. Facestant ista ad eos, qui nec ipsi donis Dei recte uti norint, nec alios uti velint: quod vel inscitia, vel invidia, vel miseræ morositatis, vel denique tristioris duriorisque cujusdam indolis esse intelligimus. Itaque Lætari juvènes, cum Salomone & ipsi concedimus, ac volumus; dummodo vere latentur; neque insaniam pro læticia habeant.

Ea enim vera demum læticia est, quæ bono de fonte manat, & de re bona animis concipitur. De malo & in malo gaudere, hominis ferè est, & in se aliosque crudelis. Ridere enim in exitio suo, ferinum est: causas exitii sibi aliisque data opera arcessere, crudele juxta atque insanum. Atqui omnis læticia, quæ gaudet malo, aut specie tantum boni nos fallit, re casta, tædii, doloris, exitii mater est, ejusque, quantumvis prima fronte blandiatur, extrema tandem luctus occupat.

Quod igitur sapiente scriptore, & divinitus instructo, dignum est, eas vocabulis subjicit notiones, quæ rerum ipsarum naturæ & dignitati consentiant. Neque alia ipsi læticia laudatur, nisi quæ vera sit & stabilis. *Latere, inquit, Juvenis!* h. e. Ea age, quæ solidam tibi certamque ac firmam læticiam afferant, ea scilicet, quæ salva communione cum Deo, summo bono, (cum iis enim, quibus fœderis sui beneficium concedit Deus, Salo-

Salomoni sermo est) quæ recta lætaque conscientia peragere possis, neque post factum eorum memoria morsuque crucieris.

Huc enim respicere Regem sapientissimum, demonstrant antecedentia. v. 6. Quovis tempore, sive primo mane ætatis adolescentis, sive sero vespere senectutis, bene age; (hoc enim est semen vere profuturum, ut faterur ad v. 10. Sal. Bon Melch; & plene planeque docet Ap. stolus Gal. VI, 7 sqq.) ut aliquem DEO, tibi, proximo fructum producas: neque despera eventum feliciorum, si non in omnibus, certe in aliquibus. v. 7. Dulce lumen & delectabile oculis videre Solem; i. e. relucet splendetque tibi lux gratiæ divinæ in Christo, sole justitiæ, grata lux, lux salutaris, vitæ spatium tibi hic ad bene agendum salutisque rationes recte constituendas indulgens. qua luce latus lubensque debes uti, frui. v. 8. Quod si homo annos vixerit complures, curandum ei est, ut omnibus & singulis annis recte gaudeat, seu juvenis fuerit, seu vir senexque; atque illa cogitet, instituat, agat, quæ, affulgente hoc lumine gratiæ, animo sibi bene conscio & de gratia Dei certo perfici possunt; ne peccata juventutis in memoriam redeuntia quietem senectætæ perturbent, neque laudem bene actæ adolescentiæ vitia virilis ætatis aut senectutis corrumpant. Nam verum illud stabileque animi gaudium, quod in recta conscientia reponitur, omnibus ætatibus commune Deus esse jubet. Cui quidem eo magis studendum est, quo miseriorum sunt dies, luce divina carentes, qui, quotquot fuerint, hominem umbris & inanibus deludunt, omnique vera lætitiæ salutarique vacuum relinquunt.

Monitum hoc universim omnibus datum, speciatim postea commendat *Juvenibus*. Hæc enim ætas veluti radix quædam & fundamentum totius reliquæ vitæ existit: quod nisi recte struxeris, reliquum ædificium male cohærere, nutare, labascere, aut novam structuræ molem ab integro tibi instituendam esse, non sine dolore animadvertes. Temere multi, defervescente primæ ætatis calore vitia quoque sponte cessatura, credunt. Plerumque enim contra fit, ut non tam vitia virtutibus, quam vitia vitiis aliis commurentur. Nec veri nominis emendatio est, ubi tu peccatis nuncium haud remiseris, sed te illa deserant, aliisque pestibus novis exagitantium vexandumque tradant.

Prudentissime igitur nunc Salomonis ad *Juvenes* convertitur Oratio: eo quidem consilio, ut atas hæc alias improvida, illud πάντοτε χαίρειν, etiam in tabulis novi fœderis commendatum omnibus, Spiritu Dei magistro, tempestive recteque perdiscat atque exerceat; itaque ab inanissima sæculi in maligno positi pestiferaque voluptate animos ad veram sanctamque pectoris casti atque integri lætitiæ transferat. Hoc enim pacto in bono fuerit, nobisque benefecerit pleno modio modoque cor nostrum in diebus juvenia nostra.

Neque vero in aliam interpretandi rationem nos cogere possunt; quæ sequuntur: *Ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum.* Quod alibi (*Psal. LXXXI, 13. Esa. LVII, 17. Num. XV, 39*) viis Dei opponi, & in probro atque execrationi esse, non inficiamur. Etenim in *Sententiis ad mores regendos pertinentibus* ea, de quibus sermo est, persæpe non, prout per vicia hominum ipso facto se habent, sed in eo sunt accipienda statu, in quo juris ordine exigente esse debent. Ita *Prov. XVII, 6. Senum gloria Filii & Nepotes* esse dicuntur: non sane omnes aut qualescunque; verum probi, pii, grati, ecclesiæ rei que publicæ utiles. Neque enim minus verum est, quod alibi (*c. XV, 20*) dicitur: *Filios stultos matri esse ignominie.*

*Via* igitur cordis ex demum ad mentem Salomonis erunt, quæ in corde novo mundoque divinitus concessio (*Pf. LI, 12*) mature prudenterque consideratæ (*Prov. II, 9. 20. IV, 18. 25, &c.*) ac prævisæ, certo consilio & constanti proposito ineuntur ac peraguntur. plane oppositæ Viis incertis, lubricis, deviis incautæ juventutis. Ut *Egregio cordatus homo, Ennio* apud *Ciceronem* audiebat catus *Aelius Sextus*. Contra non tantum apud Latinos *Vecors, Excors*, improbi, inepti, stulti, vesani appellatio est; sed & Salomo noster *Prov. VII, 6.* atque alibi *Hominem temerarium atque improbum* ait esse *לב סרסר, carere Corde.* Atque adeo interius animi propositum, ad regulas veri, divinitus commonstrati, recte compositum, & serio voluntatis sanctæ studio constitutum atque roboratum, illud demum fuerit, quod tanquam *Cor*, & fontem circuli vitalis præcipuum, semper probe attendere, atque ab omni labe integrum quam diligentissime servare debeamus. Quod Salomo elegantissime *Prov. IV, 23* eloquitur: *Omni custodia serva cor tuum; quia ex eo vita procedit.*

Non ergo *Via Cordis*, sive *Cordatæ*, aut *Cordatorum* sunt, ubi (ut iterum *Emmiana* formula uti liceat)

*incerte errat animus, præter propter vitam vivitur;* (*Gell. XIX, c. X*) non ratione vera duce; sed cæca animi libidine inflammante: ubi consilium non a Deo, aut bonis, iis præsertim, quibus juventutis tuæ provida moderatio commissa est; sed ab æstu turoreque perturbationum animi, & a pravis consultoribus petitur. Non sunt *via cordis*, aut hominum *cordatorum* prudentumque, si viam veri & honesti, bono salutarique consilio semel initam, deinde constanter haud persequaris; sed in devia pravorumque hominum instituta pessima te patiaris abripi, neque

*Sirenium voces & Circes pocula vites.*

Sed quid *Intuitus oculorum* fuerit, in quo Juvenes jubentur ambulare? Non poterit hoc obscurum esse, cogitantibus, quid ante Vir Sapientissimus præmonuerit *c. II, 14. Sapientis oculi in capite ejus: Stultus* (i. e. impro-



improbis, quamvis sibi videatur esse oculosissimus) in tenebris ambulat. Scilicet si demum Oculi hominis sunt proprii, ejusque præstantia, ad quam a Deo conditus est, digni, quos (ut eleganter Antonius Magnus apud Socratem H. E. IV. c. XXV. de Didymo) non cum ranis & muribus, sed cum Deo & angelis communes habet. Jubet ergo Gratia Dei illuminatrici (quæ sola veram lucem nostris & infundere & circumfundere potest) locum apud se relinquere, ut & ad lumen hoc divinum omnia provide inter se discernas, & quod tibi agendum in præsentia objicit divina ratio, oculo irretorto tanquam scopum tibi præfigas, quo unice collinees, tuaque cogitata, dicta, facta conferas. Enimvero opponitur hoc Cæcitati tum nativæ, tum adscitæ, qua juvenes, lumini Dei rebelles, ruunt temere, nec quo eant, aut qua eant, quicquam pensi habent. Opponitur inconsultæ temeritati, quæ juvenes facile abripit in pejus, ita ut vanis blanditiis spei fallacis, & inanium consiliorum, præsentia quæ aderant Dei bona negligant turpiter, & postea annos bonos tam fœde amissos vanissime deplorent. v. Prov. V, 11-14.

Non ergo ambulas, mi Casimiriane, ex præcepto Salomonis, in intuitu oculorum, si lumen Dei exorare tibi, & sedulo attendere ac sequi neglexeris: si tibi Suffenus paterna spreveris superiorum consilia & monita: si ambules, non qua eundem est, sed qua itur; neque apertis oculis mentis tuæ inter has sæculi spinas & lubrica vitæ provide inaccessis, sed in operibus tenebrarum volutatus lucem fugias, & bonam mentem.

Atque ut præceptum hoc cordi & memoriæ habeas, scito, quod pro omnibus his adducet te DEVS in judicium. Coram oculis Dei vivimus & agimus, Patris, Domini, Judicis; qui facta nostra non tantum penitissime pernoscit, sed eadem ad normam regulamque verè & justè accurate exigit; cui & præ omnibus mores actusque nostros approbare, viventesque pariter ac morientes, quin & olim resuscitandi, rationem vitæ persolvere debemus.

DEVM de Judicio equitate temperato dicitur. v. Jer. X, 24. XXX, 10. ibique Commentatores Hebræos. Tale quidem DEI est judicium. Neque enim, nisi lento gradu, ad extremum æternumque supplicium procedit. Judicat DEVS, Juvenis Christiane, facta tua interiore pectoris admonitu: Judicat Parentum, Magistrorum, Doctorum censuris præceptisque quotidianis: Judicat flagellis incussis: Judicat, propositis in utramque partem exemplis aliorum, unde, quid de te futurum sit, perspicias. Sed, quod isthæc maximam partem caligine quadam mentis humanæ, miraque casuum varietate obteguntur; meminisse te jubet Deus, horam diemque instare decretoriam, quæ in aprium productura sit vel occultissima quæque, bene maleque facta, & digna factis præmia aut supplicia repræsentatura. Huc pares te, quæso, Deumque hic variè tecum agentem securus ducem,

ducem, ne asperneris præcepta monitaque aliorum: in summis DEI beneficiis reputans, quæ vel incitiâ, vel imprudentia vel alio quodam impulsu peccas, in tempore emendari & corrigi potius, quam ultima factorum vi atque imperu obrui. Neque enim DEVM vitæ tuæ arbitrum & judicem effugere ullo modo licet.

Ecquid ergo consilii, ut Judicem hunc faventem tibi potius, quam infensum iratumque experiaris? En verissimum tutissimumque consilium ab ipso Dei oraculo, optime tibi, nisi ipse nolueris, paterneque consulente, dum tempus est. *Aufer*, inquit, *iram a corde tuo!* Quicquid DEI iram in caput tuum devocat, cave sedulo, atque non tantum ex omni vitæ actu, sed ipsis quoque pectoris tui penetralibus, divina adjuncto ope, evelle, amollire: inprimis quæ veræ in Deo lætitiæ opposita nomine τῆ οὐδὲ indignationis veniunt. *Aufer curas* animum rodentes, ex dissidentia in Deum natas! Hæ enim dum divinæ bonitati obstrepunt, etiâ præsentibus DEI beneficiis, multo magis amplioribus, indignos reddunt. *Aufer iram & vias*, variasque talium causas, quibus caritas Christiana, pax vitæ, literarum decus violatur atque intervertitur! Neque enim pacem DEI assequi nec retinere poteris, nisi & ipse pacis fueris filius, *Luc. X. 6.* *Aufer animum moniti disciplineque impatientem!* Frustra Dei nomen & præcepta jactas, si disciplinam spreveris, *Pf. L. 16. 17.* *Quin & amove malitiam a carne tua!* Frenum injice cupiditatibus, animoque natura ad malum pronò; ne te, si malos mores culpamque minus caveris, malum pœnæ maneat exitiabile.

Neque est, quod longa tibi ad emendandas vitæ rationes spatia pollicearis.

.. Cito pede labitur ætas.

ut aurora diluculum, (ἠὴρ; quod alii adolescentiam, ferme ταυτολόγως; R. S. virilem ætatem, a crinium nigrore, canis opposito; *Vulgatus voluptatem*, LXX ἀνοιαν reddidere) ita juventa flos transit velocissime: quo, dum ad est, bene utendum, non abutendum est; ut solidum ad futuram felicitatem tibi loces fundamentum.

Quam audientes dicto Salomoni, vel DEO potius, hæc per ipsum edicenti, fueritis, quodammodo instans cætus vestri lustratio ostendet. Quæ a. d. V Non. Oct. in auditoribus Publicis, IV Non. in Pædagogicis peracta; III Non. Censoria Oratione finietur, ceteris diebus Scholæ Senatoriæ ex morè tribuendis. Ante tamen, qua in materie stilus vester periculum facere debeat, crastina luce publice indicabitur, non neglecta.

Prid. Kal. Oct. ἀνακρίσει Alumnorum. Faxit Deus, ut omnia vobis.

reique literariæ ac publicæ bene cedant! P. P. Dom. XV.

p. Trinit. a. d. VII Kal. Oct. A. R. G. CLDCCXXXIX.

Ja 4467

ULB Halle  
005 375 053

3




WNA

VD 18

*[Handwritten signature]*







16.

LAETITIA  
JUVENTUTIS

Eccl. XI, 9. 10.

